DE
CHRISTI DOMINI
ASCENSIONE
ORATIO

HABITA

IN BASILICA LATERANENSI

CORAM SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTE XIV.
PONT. OPT. MAX.

A MATTHÆO CANONICO TASSINARI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMÆ MDCCLXXIII.

EXCUDEBAT JOANNES GENEROSUS SALOMONIUS

Præſidum Adprobatione.

Digitized by Google

Miscel
Oratoria
Num
23

Digitized by Google

CLEMENTI XIV.

PONTIFICI . MAXIMO

AD . PACEM . INCREMENTVM . ET . GLORIAM

ECCLESIÆ . DIVINITVS . PRÆPARATO

PRINCIPI . OPTIMO

BONO . REIPVBLICÆ . NATO

CVIVS . VIRTVS . NIHIL . HABET . MAIVS

FORTVNA . NIHIL . FELICIVS

QVAM . VELLE . AC . POSSE . PRODESSE . OMNIBVS

MATTHÆVS . TASSINARIVS

BASILICÆ . S. MARIÆ . TRANSTYBERIM . CANONICVS

SE . ET . HANC . SUAM . QVALEMCVMQUE . ORATIONEM

DE . ASCENSIONE . DOMINI

HABITAM . IN . ECCLESIA . LATERANENSI

XIII. KAL. IVN. AN. S. M.DCC.LXXIII.

AD . SS. PEDES . HVMILLIME . PROVOLVTVS

D. D. D.

Digitized by Google



ORATIO.

Multa ſunt, BEATISSIME PATER, divina myſteria, quæ anniverſariam hanc recolens Aſcenſionis Domini Feſtivitatem per Fidei ſpeculum videt & contemplatur Eccleſia: & multa, eaque omnia præſtantiſſima, ac mirabilia, ſunt dona, quibus

hodierna die affecit nos ad Cælum aſcendens Auctor pacis, & gratiæ Jeſus Chriſtus Dominus noſter, ut gloriaremur in ſpe filiorum Dei. Scilicet, etſi, etiam cum in forma ſervi eſſet, Divinitatis ſuæ ſigna irradiare fecit, multoque manifeſtius cum præbuit ſeipſum Diſcipulis ſuis vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis; attamen excellentius atque ſacratius Filius hominis Filius Dei innotuit, cum elevatus in Cælum in Paternæ majeſtatis gloriam ſe recepit. Ex quo profecto & Fides noſtra mirifice roboratur, & Spes erigitur, cæleſtiſque voluptatis torrente inebriatur; Ecquis enim fidelis, ſciens ſe eſſe membrum Chriſti, eo ſe vocatum
non

non ſentiat, quo Capitis ſui gloria præceſſit? Videat, videat antiquus perpetuuſque humani generis hoſtis præparatam nobis eſſe in cælis beatiſſimam æternamque manſionem: & impotens iræ fremat, & tabeſcat, quia periit deſiderium ſuum, cum nos multo ampliora adepti ſimus per Chriſtum, quam per ejus invidiam amiſimus. Dejecit nos ille primi habitaculi felicitate, ſed Chriſtus fecit nos Regni ſui cohæredes, & in ejus poſſeſſionem mittens nos hodie humanitatem hanc ipſam noſtram, ipſius, inquam, hujus noſtræ naturæ humilitatem, quam propter nos, & propter noſtram ſalutem aſſumere dignatus eſt, ſuper omnem Cæli mili-

tiam, ſupra omnes ordines Angelorum, & ultra omnium altitudinem Poteſtatum ad Dei Patris dexteram conlocavit. Cantemus itaque Domino, glorioſe enim magnificatus eſt in magnitudine gloriæ ſuæ: Jubilemus Salvatori noſtro, quia fecit nobis miſericordiam: Ingrediamur viam veritatis, & ambulemus in novitate vitæ, ut digni efficiamur habitatores domus ſanctæ Dei; neque enim in ſancta Spe manet, ſed temeraria præſumptione ſuperbit, qui ſibi fallaciter blanditur ad tantum bonum pervenire ſe poſſe ſine operibus bonis. Si vere lætati ſumus in his, quæ dicta ſunt nobis: *in domum Domini ibimus*; debemus etiam lætantes, exul-

Digitized by Google

exultanteſque in viis Domini ambulare in omni patientia; qui enim complantati erunt ſimilitudini mortis Chriſti in terris, cum ipſo, & in ipſo lætabuntur etiam in Cælis. Habet Spes Sanctorum alas duas, quibus ſe extollit ad Deum, Fidem, & Caritatem. Nutrit hanc Fides, & Fidei vita & ſpiritus eſt Caritas. Quis diligit quod non credit? Sed in Chriſto Jeſu ea valet Fides, quæ per dilectionem operatur. Igitur quod certa fide ſcimus eſſe promiſſum, tunc bene ſperamus, cum & firmiter illud mente credimus, & corde ardenter diligimus: neque ſolum expoſcimus verbis, ſed etiam opere inquirere perſeverantes ſatagimus. Cum

nu-

nubes ſuſcepiſſet Dominum ab oculis Diſcipulorum, audita eſt vox Angelica dicens eis: *hic Jeſus, qui aſſumptus eſt a vobis in Cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cælum;* Et licet illi hac voce promiſſam ſibi eſſe ſenſerint revertentis in die Judicii pietatem, nihilo tamen minus reverſi Jeruſalem non ſteterunt in foro otioſi, non ſæculi pompis, aut terrenis voluptatibus indulgere ſe poſſe exiſtimarunt, ſed in Cænaculo convenerunt, ut perſeverantes in oratione præpararent ſe ad accipiendum Spiritum Sanctum, quo incenderentur, ut poſſent, & vellent, & perficerent in laboribus, in ærumnis, in ſanguine quod placitum erat

ei,

ei, qui eos ad Regnum elegerat. Inſonet auribus etiam noſtris eadem Angelica vox, ſed ne fallax, & inanis ſpes nos decipiat, ita hanc vocem audiamus oportet, ut etiam propoſitum imitemur exemplum. Beati quibus vere dicitur; *ſic veniet*, *quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cælum*! Non ſic impii videbunt, non ſic, qui Fidem & Spem habere ſe putant, ſed in Caritate non manent. Ipſa erit venientis Judicis veritas, ſed non ipſa erit in judicandis ſecuritas. Dixi.

Digitized by Google

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

D. Jordani Patriar. Antioch. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchini Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Magiſtro.

Digitized by Google